

abire permisissent: quo negato, tum metu in desperatio-
nem verso, concursum fuisse: Liguremque artem viribus
addidisse, quindecim triremibus in insidiis locatis, quæ
medio pugnæ ardore in Venetos coortæ, haud dubiam suis
fecerint victoram. Cæterum, sex Genuensium, duas &
triginta Venetorum naves non pugnasse: quæ metu, vel,
ut alii tradunt, vi ventorum aversæ certamen detrectarunt:
ab reliquis acriter dimicatum, pluresque aliquanto Ligu-
res quam Venetos cecidisse: atque ab initio ita a Ligure
laboratum, ut jam fugam circumspicere cœpisset, quum
quindecim illæ ex insidiis tumultuose egressæ, pugnam re-
pararunt, ac prælio instaurato, Venetam classem omnino
profligatam. Capta ad quatuor Venetorum millia cum ipso
Andrea navium Præfecto: qui quum Genuam captivus tra-
heretur, præ nimio dolore ita graviter totiensque triremi
caput impegnisse dicitur, ut antequam Genuam ventum es-
set, expirarit. Ricoaldus Ferrarensis auctor est, cum octo
Genuensium navibus atque octoginta eo loco concursum:
trigintaque Venetas prælio evasisse, quæ ab initio pugnam
detrectarunt: captaque ad quinque hominum millia; nec
ob cædem hostium ingentem Genuæ ullam victoriæ lati-
ciam sentiri potuisse: publiceque prædicatum, majore ad
Corcyram clade Ligurem quam Venetum affectum. Atque
in hunc modum in Dalmatia pugnatum accepimus. Tan-
tæ cladis nuncius ingentem luctum terroremque civitati at-
tulit: sed imminentis periculi metus effecit, ut civitas ab
omni mœrore aversa, continuo ad vires reparandas animum
adjecerit: vulgo credere, victorem hostem (quia nulla es-
set classis quæ illius cursum, si Venetas versus movisset,
impedire posset) non multo post cum tumultu affuturum.
Sed eum in Græciam, vel domum potius, continuo abiisse
ideo crediderim, quia post Corcyrensem pugnam nihil
a Ligure gestum, non modo non in intimo sinu, sed ne
in Dalmatia quidem reperio. Reparata classe, ne insulæ
& maritima oppida, quæ in Ionio & Ægeo erant, sine
præsidio essent, quinque & viginti triremes, Marco Basejo
Præfecto, ex urbe sunt profectæ. Hæ quoque circa Hellef-
pon-

*Andrea
Danduli
mors.*